

CAPITIS PRIMI DE SIGNIS,

Explanatio.

SUMMA CAPITIS

IN duas partes divisum est hoc caput; Prima habet locum præfationis; secunda initium tractationis est. In priori præmittit Arist. se dicturum de Nomine, Verbo, Enuntiatione, ac Oratione. Quibus omnibus, quia commune est significandi munus, in priori parte tria quædam supponit ad vocum significationem pertinentia. Primum est, voces esse signa conceptuum, scripta autem vocum. Secundum, ut characteres, ita et voces non esse eadem apud omnes, conceptus vero, et res per eosdem significatas, ubique easdem esse. Tertium, ut quidam conceptus sunt veritatis, et falsitatis expertes, alii veri, vel falsi, ita rem habere in vocibus.

COMMENTARIUS

a *Primo definire*] enumerando ea de quibus dicendum est, proposuit Aristoteles partes quasi physicas Enuntiationis: Nomen scilicet, et verbum: deinde Enuntiationem: ultimo Orationem, quæ est pars Metaphysica, et videbatur prius numeranda. Deinde loco Enuntiationis scripsit affirmationem, et negationem, quæ sunt eius species. Fuisse autem constituentiam Enuntiationem ex eo liquebat, quia hæc est subiectum horum librorum. Circa primum placet interpretatio Boetii in editione 2. ideo præmisisse Orationem, ut alioqui oportebat, ne quis existimaret, eam si primo assignaretur, esse subiectum operis. De 2. occurrit ea ratio, quam assignabimus initio Prior. cur in definitione Propositionis immiscuerit affirmationem, et negationem. Nimirum quia differentia propria Enuntiationis in communi, innominata est: et ideo per copulationem inferiorum explicatur. Adde, voluisse forte insinuare divisionem.

Quod deinde altercantur D. Tho et alii; cur priorem numerat Negationem, cum sit Affirmatione posterior. Dirimit recte Boetius negando Affirmationem esse priorem Negatione, si sumatur, ut species sub suo genere; ut initio Priorum probatur. Cur autem ex paribus anteposita sit Negatio, quæ est deterior; refert Alber. tractatu 1. cap. 3 ad oppositionem negativam, est enim caput, ad quod cætera reducentur.

Prima Aristotelis suppositio

b *Ea igitur quæ in voce*] Est prima suppositio; in qua idem videtur esse [ea quæ in voce, et in scriptura] ac voces, et scripta; ut indicat Porphyrius. Quanvis Boetius, et Divus Thomas mysterio tribuant [ea quæ in voce] quasi voluerit Philosophus indicare significationem esse extra naturam vocis, et in ea fundari. Verum minus recte diceret significationem esse notam; vox enim est nota, licet ratione significationis. Eadem est de scriptura interpretatio. Cur autem conceptus, et intellectiones appellet affectiones, patet ex dictis; alludit nimirum ad id, quod tradit 3. de Anima cap. 4. intelligere esse pati, eo quod intellectus cognoscendo recipiat in se actionem.

Alb. Magn.

c *Atque uti non*] Est secunda suppositio. Quemadmodum [assim como] omnes homines non utuntur iisdem characteribus in scriptura, sed longe diversis, ut in Græcis, et Latinis patet: ita non omnes uti iisdem vocibus in sermone. Quod est adhuc experientia manifestius. Quod subdit, affectus, id est conceptus esse eosdem, non significat identitatem numericam, sed specificam. Item non vult omnes eodem modo apprehendere easdem res, nam alius perfectius, alius imperfectius eadem rem cognoscit. Sed ubicunque sit interna alicuius rei imago, qualiscunque illa formeretur retinere eandem repræsentationem, et secundum se æque aptam esse omnibus idem repræsentare. Similiter docet res easdem esse. Quod non oportet cum Alberto hic tract. 2. cap. 3. intelligere de naturalibus tantum; nam etiam artificiales, postquam semel confectæ sunt, iisdem usibus ubique deservire possunt.

d *Quemadmodum autem*] Tertia suppositio. Ut quidam conceptus sunt veri, vel falsi, alii minime; ita nonnullæ voces veritatem continent, aut falsitatem: aliæ neutram. Docet vero iis conceptibus inesse verum, vel falsum, in quibus cernitur compositio, et divisio. Nomine compositionis intelligit propositionem affirmantem; in qua scilicet unum alteri attribuitur. Ut Homo est animal. Nomine divisionis significat propositionem negantem, in qua unum ab altero removetur. Ut Homo non est bellua. Quidnam sit de simplicibus conceptibus existimandum, in quæstione definietur.

D. Thom. Boetius. Alb. Magn

D. Thom.

Secunda Aristotelis suppositio

Tertia Aristotelis suppositio

CAPUT PRIMUM.

De Signis

PRIMO a definire oportet, quid nam sit nomen, et quid verbum, deinde quid negatio, quid affirmatio: quid Enuntiatio: quid denique Oratio sit. ¶ b *Ea igitur, quæ in voce consistunt signa sunt affectuum, qui in anima sunt: et ea, quæ scribuntur, notæ sunt eorum, quæ in voce consistunt.* c *Atque uti non eadem sunt apud omnes homines litteræ, sic neque voces eadem sunt. Affectus tamen, quorum hæc signa sunt primo: iidem apud omnes homines sunt, res quoque, quarum hi similitudines sunt, easdem itidem esse constat. Verum de his in libro de Anima dictum est: ad aliam enim facultatem huiusmodi consideratio pertinet.* ¶ d *Quemadmodum autem in anima conceptus est interdum sine veritate, aut falsitate: interdum vero est talis, ut horum alterum ei necessario competat: sic et in voce esse videtur. Nam verum, falsumque in compositione, divisioneque consistit. Ipsa igitur nomina et verba similia sane sunt ei conceptui, qui sine compositione, divisioneque est: velut hoc nomen [Album] vel [Homo] cum nihil additur ipsi: nondum enim verum est, aut falsum: cuius quidem hoc iudicium est: Hippocentaurus enim aliquid quidem significat: at nondum verum est, aut falsum, nisi esse, aut non esse additum: aut simpliciter, aut respectu temporis fuerit.*